

Psalmus responsorius

Ps 84, 9ab-10. 11-12. 13-14 (R̄.: 8)

R̄. Ostēde nobis, Dómine, misericórdiam tuam
et salutáre tuum da nobis.

^{9a} Audiam, quid loquátur Dóminus Deus,
^b quóniam loquétur pacem
ad plebem suam et sanctos suos.

¹⁰ Vere prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. R̄.

¹¹ Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.

¹² Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. R̄.

¹³ Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.

¹⁴ Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. R̄.